

tot laborantes feriari videretur: ita & ego, dum strenuè **C R E M P I S** muniendis, suo quisque loco, architecti, fabri, cœmentarii, &c. dederunt operam; ne inter hæc negotia, quasi solus in ocio, neve inter has operas, quasi solus sine opere desiderem, hos Excubiarum manipulos pari studio conscribere, & centuriare volui.

Idque eò feci alacrius, quod studium hoc meum à **P R O F E S S I O N E** hac non, videretur alienum. Etsi enim, quotquot **C H R I S T O** nomen dedimus fideles, viritim excubias agere, 1. *Petris. Matth. 26.* lumbis præcinctis, & lucernis accensis vigilare, *Marc. 13. Luc. 12.* bonum certamen certare, 2. *Timoth. 4.* athletarum & pugilum instar dimicare, 1. *Corinth 9.* & vniuersam armaturam Dei, vt in die malo resistere possimus, assumere, *Ephes 6.* iubeamur: Siquidem lucta nobis & bellum *ἀποὸς τοῦ* est, non eum carnalibus solùm concupiscentiis, quæ aduersus animam internecio militant odio, 1. *Petr. 2.* sed & cum potestatibus & rectoribus tenebrarum, *Ephes. 6.* Imprimis tamen Ecclesiæ ministris, studio peruigili, die nocteque in specula, pro Dei populo excubare, de hostium incursum clangore tubarum auditores monere, *Ezech. 3. 33.* lupos & vrsos arcere, *Actor. 20.* &c. incumbit. Hinc siquidem Episcopi ab *ἐπιτροπέων*, hinc Pastores; vt iuxta Christi prototypi sui exemplar, pro ouibus contra lupos pugnent, *Ioh. 10.* appellantur. Quo immarcescibilem illam re  
por--